



Opvs Theologicvm

In Tres Tomos Distribvtvm, In quo praecipua totius Theologiae capita accurate pertractantur ... Adiecto ad finem Tertij Tomi Indice rerum notabilium

Qui totam primam partem D. Thomæ, ac multa alia continet, quorum Indicem sequens pagina dabit

Mauro, Silvestro

Romae, 1687

Q. 86. Vtrum prædefinitio, & permissio auferant libertatem actibus à Deo prædefinitis, & permissis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-84111](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-84111)

quod potentia proximè libera se conuertendi, directè impediendo conuersionem, indirectè impediret scientiam mediam de tali conuersione vt conditionatè futura, & indirectè determinaret oppositam scientiam mediam de non conuersione: ex quo sequeretur, quod Deus posuisset hanc potentiam proximam, non dependentem à scientia media de conuersione, sed dependentem à scientia media de non conuersione, non per decretum prædeterminatum conuersionis, sed per decretum permissiuum non conuersionis.

24. Dices primò: quod supponit aliquid vt positum, non potest ne indirectè quidem illud impedire; sed potentia proximè libera supponit vt positas omnes suas causas, à quibus de facto pender, adeoque etiam scientiam mediam, & diuinam prædeterminationem consensus e. g. ergo.

25. Respondeo, distinguo maiorem: quod supponit aliquid vt positum, prout includit taleam suppositionem, & potentia consequenti non potest illud impedire, concedo: prout abstrahit à tali suppositione, & potentia antecedenti non potest illud impedire, nego: distinguo eodem pacto minorem; & nego consequentiam. Potentia proximè libera non constituitur proximè libera formaliter per hoc, quod de facto pendeat à scientia media, & à decreto prædeterminatiu consensu, sed constituitur proximè libera per suam existentiam, & per auxilia præuenientia &c. quæ omnia sunt ex se indifferentia ad hoc, vt pendeant à scientia media consensu, & à prædeterminatione consensu, vel à scientia media dissensu, & à permissione dissensu; ergo potentia proximè libera, vt proximè libera, secundum suam constitutiuam præscindit ab hoc, quod sit posita dependenter ab hac scientia, & decreto, vel ab alia scientia, & ab alio decreto, & prout præscindit, & est indifferens, constituitur tanquàm hypothesi, seu conditio scientiæ mediæ; ergo potentia proximè libera directè se determinando ad consensum, potest indirectè se determinare ad hoc, vt pendeat à scientia media, & decreto prædeterminatiu consensu, & se determinare, vt pendeat à scientia media, & decreto permissiuo dissensu.

26. Hinc patet disparitas, quare potentia proximè libera non possit impedire se ipsam, vel vllum suum constitutiuum, possit autem impedire aliquam suam causam, à qua non essentialiter pender. Ratio est, quia potentia libera vt existens, non potest impedire vllum eorum, à quorum existentia non potest præscindere; at potest impedire ea, à quorum existentia potest præscindere; sed potentia proximè libera vt existens non potest præscindere ab existentia vllius sui constitutiu, potest præscindere ab hoc, quod existat dependenter ab hac, vel illa causa, puta dependenter à scientia media consensu, vel dissensu; ergo &c.

27. Dices secundò: liberum arbitrium vt absolutè existens, ne indirectè quidem potest

impedire aliquid, quod eodem pacto daretur siue liberum arbitrium existeret, siue non existeret; sed scientia de conuersione conditionatè futura eodem pacto daretur, siue liberum arbitrium existeret, siue non existeret; ergo &c.

28. Respondeo, distinguo maiorem: liberum arbitrium vt absolutè existens non potest indirectè impedire aliquid, quod eodem pacto daretur, siue liberum arbitrium existeret, & quomodocumque absolutè operaretur, siue liberum arbitrium non existeret, & quomodocumque conditionatè esset operaturum, concedo: quod eodem pacto daretur, si liberum arbitrium existeret, & operaretur vno modo, sed non eodem pacto daretur, si liberum arbitrium existeret, & operaretur alio modo, nego: distinguo eodem pacto minorem; & nego consequentiam. Liberum arbitrium potest indirectè impedire scientiam mediam conuersionis, quia talis scientia media daretur quidem, si liberum arbitrium existeret, & absolutè conuerteretur, sed non daretur si liberum arbitrium existeret, & absolutè non conuerteretur; ergo liberum arbitrium absolutè existens, impediendo directè suam conuersionem, potest indirectè impedire scientiam mediam de tali conuersione.

29. Ad 7. iam dictum est scientiam visionis, & mediam de conuersione e. g. posse impediri solum indirectè. Hac potentia indirectè impediendi consistit in hoc, quod liberum arbitrium potest directè impedire conuersionem, quam si impedit, eo ipso sequitur, quod quia Deus ideo absolutè, & conditionatè præsciuit conuersionem, quia liberum arbitrium erat liberè conuersionem non impediturum, Deus neque absolutè, neque conditionatè præsciuit conuersionem.

QVAESTIO LXXXVI.

Virum prædeterminatio, & permissio auferant libertatem actibus à Deo prædeterminatis, & permissis.

1. **V**idetur auferre, primo quia necessitas antecedens non solum tempore, & æternitate, sed etiam causalitate, & natura, & inimpidibilis à libero arbitrio, auferat libertatem actibus, quos necessariò infert; sed prædeterminatio, & permissio sunt huiusmodi, & non possunt impediri à libero arbitrio; alioquin potentia libera posset impedire suam causam, dependentem à qua fuit posita; ergo &c.

2. Secundò ex dictis quæst. 80. num. 27. prædeterminatio, qua Deus prædeterminat actum bonum, puta conuersionem Sancti Petri, est decretum, quo Deus quia per scientiam mediam videt hoc auxilium fore efficax, vult illud dare, & vult, vt Sanctus Petrus conuerteretur, ita vt si videret hoc auxilium fore inefficax, daturus esset aliud, quod videret efficax; sed

sed hoc decretum aufert libertatem actui, putà conuersioni Sancti Petri; ergo &c. Probatur minor: nam qui non potest se diuidere ab aliquo inconiungibili cum actu, vel cum negatione actus, quin se coniungat cum alio pariter inconiungibili, non est liber ad actum, vel ad omissionem actus: e. gr. si aliquis ita sederet in vna sede, vt non posset se diuidere à sessione in tali sede, quin se coniungeret cum sessione in alia sede, quæ sessio esset pariter inconiungibilis cum ambulatione, non esset liber ad ambulandum; sed Sanctus Petrus non posset se diuidere à decreto inconiungibili cū negatione conuersionis, quo decreto Deus prædefiniuit conuersionem Sancti Petri per talia auxilia, quin se coniungeret cum alio decreto prædefiniente conuersionem per alia auxilia, quæ videret fore efficacia, quod decretum esset æquè inconiungibile cum negatione conuersionis; ergo &c.

3. Tertiò vt Petrus e. g. sit liber ad se conuertendum, vel non conuertendum, requiritur, vt Deus sit paratus concurrere cum Petro ad conuersionem, vel permittere negationem conuersionis; sed eo ipso, quod Deus habeat decretum, quo vult, vt Petrus conuertatur per hæc auxilia, quæ per scientiam mediam videt fore efficacia, & si videret hæc fore inefficacia, velit dare alia, quæ videret fore efficacia, Deus non est paratus permittere negationem conuersionis; ergo &c.

4. Quartò, qui caret aliquo necessario ad se conuertendum, non est proximè liber ad se conuertendum; sed qui caret prædefinitione conuersionis, caret aliquo necessario ad se conuertendum; ergo &c.

5. Respondeo decretum, quo Deus ita dat auxilia efficacia, vt prædefiniat consensum, & ita dat auxilia inefficacia, vt permittat dissensum, non aufert libertatem actibus prædefinitis, seu permissis.

6. Probatur: nam necessitas determinatione consequens actum liberum vt conditionatè futurum, ac proinde impedibilis indirectè à libero arbitrio, non potest aufere libertatem tali actui, vt dictum est quæst. 85; sed necessitas decreti prædefinitiu, ac permissiu est huiusmodi; ergo &c. Probatur minor: nam ideò Deus per hæc auxilia prædefinit consensum, quia per scientiam mediam videt, quod si dederit hæc auxilia, liberum arbitrium proximè potens consentire, & non consentire, liberè consentiet; ideò hoc videt, quia liberum arbitrium si accipiet hæc auxilia, liberè consentiet; ergo à primo ad vltimum ideò Deus per hæc auxilia prædefinit consensum, quia liberum arbitrium, si habuerit hæc auxilia, per quæ proximè poterit consentire, & non consentire, determinare scientiam mediam de consensu, vel dissensu, & prædefinitionem consensus, vel permissionem dissensus, liberè cōsentiet, & determinabit scientiam mediam, & prædefinitionem consensus; ergo prædefinitio consensus est determinatione consequens

consensum vt conditionatè futurum, & à libero arbitrio indirectè impedibilis; ergo cum ideò Deus prædefiniat actum per hæc auxilia, quia videt liberum arbitrium, si habuerit hæc auxilia, liberè consenturum, cum potentia proxima dissentendi, & indirectè impediendi ipsam prædefinitionem, non potest prædefinitio aufere libertatem actui prædefinito; alioquin prædefinitio frustraretur se ipsam, ac Deus per hoc, quod vellet, vt liberum arbitrium consentiret liberè, faceret, vt non liberè, sed necessariò consentiret.

7. Ad 1. patet ex dictis. Necessitas enim ex prædefinitione, & ex permissione, cum determinatione sit consequens actus prædefinitos, & permissos vt conditionatè existentes, est impedibilis, & non potest illis aufere libertatem.

8. Ad 2. respondeo primo distingo maiorem: prædefinitio est decretum, quo Deus ita vult dare hoc auxilium, quod videt fore efficax, vt si videret illud fore inefficax, daturus esset aliud, & aliud, quod videret efficax intra certam seriem, concedo; daturus esset aliud, & aliud cuiuslibet seriei in infinitum, nego: distingo eodem pacto minorem; & nego consequentiam. Dupliciter possumus intelligere Deum prædefinire actum bonum, per hoc auxilium. Primo ita, vt si videret hoc auxilium fore inefficax, daturus esset aliud, & aliud intra certam seriem auxiliorum: secundò ita, vt daturus esset aliud, & aliud in infinitum ex qualibet serie. Deus ita prædefinit actum bonum per hoc auxilium, vt si videret illud fore inefficax, daturus esset aliud, & aliud, quod videret efficax intra certam seriem auxiliorum, putà intra seriem auxiliorum ordinariarum, non autem ita, vt daturus esset aliud, & aliud ex qualibet serie sine termino. Quis enim credat Deum ita dare peccatori auxilium efficax ad conuersionem, vt si videret illud, & omnia auxilia ordinaria fore inefficacia, daturus esset extraordinaria, & si videret omnia extraordinaria æqualia iis, quæ data sunt Sancto Paulo, Sanctæ Magdalene &c. fore inefficacia, daturus esset maiora, & maiora in infinitum excedentia etiam illa, quæ data sunt Beatæ Virgini? Hoc posito, Deus ita prædefinit actum boni, puta conuersionem Sancti Petri per hoc auxilium, vt si videret illud fore inefficax, daturus esset aliud, & aliud, quod videret efficax intra certam seriem; si autem videret omnia auxilia talis seriei esse inefficacia, permissurus esset non conuersionem; sed Sanctus Petrus potest ita se diuidere à decreto prædefinitiuo conuersionis per totam hanc seriem auxiliorum, vt se non coniungeret cum vllò decreto prædefinitiuo, sed se coniungeret cum decreto permissiuo non conuersionis; ergo remanet liber ad se non conuertendum.

9. Sed quia argumentum posset vrgeri pro casu, pro quo Deus ita prædefiniret actum bonum per hoc auxilium, vt si videret illud fore ineff-

inefficax, daturus esset aliud, & aliud infinitum ex qualibet serie, ideo respondeo secundum concedo maiorem, & distinguo minorem, ac dico quod Petrus ut habens talia præcisè auxilia nihil aliud directè potest, quam coniungere talia præcisè auxilia cum conuersione, vel cum negatione conuersionis; ergo potest indirectè omne id, quod determinatione est consequens ex hoc, quod coniungat hæc præcisè auxilia cum conuersione, vel cum negatione conuersionis; sed ex eo, quod coniungat talia auxilia cum conuersione, determinatione consequitur, quod nulla sit permissio absoluta non conuersionis, seu per hæc auxilia, seu per alia; ex eo, quod coniungat hæc præcisè auxilia cum negatione conuersionis, sequitur, quod nulla sit prædefinitio absoluta conuersionis, seu per hæc auxilia, seu per alia; ergo Petrus ut habens hæc præcisè auxilia, potest indirectè impedire omnem prædefinitioem absolutam conuersionis, seu per hæc præcisè auxilia, seu per alia, ac proinde falsum est, quod ita potest indirectè se diuidere à decreto prædefiniente conuersionem per hæc præcisè auxilia, ut se coniungat cum decreto prædefiniente conuersionem per alia auxilia.

10. Dices: si Petrus per hæc præcisè auxilia non conuerteretur, indirectè faceret, ut Deus per scientiam mediam vidisset hæc auxilia fore efficacia; sed Deus ita at auxilia, ut si videret illa fore efficacia, daret alia, quæ videret fore inefficacia, & per illa prædefiniret conuersionem, ut dictum est quæst. 80. num. 27; ergo Petrus quandoquidem indirectè faceret, ut purificaretur conditio, faceret, ut purificaretur conditionatum, adeoque ut Deus daret alia auxilia, quæ videret fore efficacia, & ut per illa prædefiniret conuersionem, quod implicat: nam eo ipso Petrus dissentiendo faceret, ut daretur prædefinitio consensus, quæ prædefinitio esset inconiungibilis cum dissensu.

11. Respondeo, distinguo maiorem: si Petrus per hæc præcisè auxilia non conuerteretur, faceret, ut Deus per scientiam mediam, compositam cum his auxilijs videret illa fore inefficacia, concedo; faceret, ut Deus per scientiam mediam abstrahentem à compositione, cum his auxilijs videret illa fore inefficacia, nego maiorem; & distinguo minorem; sed Deus ita dat hæc præcisè auxilia, ut si in sensu composito cum absoluta datione videret illa fore inefficacia, daret alia, quæ videret fore efficacia, nego: ut si videret illa fore inefficacia, abstrahendo à compositione cum absoluta datione, daret alia, concedo minorem; & nego consequentiam. Implicat in terminis, ut Deus ita det hæc præcisè auxilia, ut si in sensu composito cum datione horum præcisè auxiliorum haberet scientiam mediam, qua videret illa fore inefficacia, daret alia, quæ videret fore efficacia; ergo Deus proculdubio non ita dat; sed Petrus per hæc præcisè auxilia nihil

aliud potest facere, quam coniungere cum his præcisè auxilijs, vel consensus, ac proinde scientiam mediam, & prædefinitioem consensus, vel dissensum, ac proinde scientiam mediam, & permissionem dissensus; siquidem vniuersum potentia proximè libera nihil aliud est, quam potentia coniungendi secum vel consensus, & omnia ex consensu necessariò consequentia, vel dissensum, & omnia ex dissensu necessariò consequentia; ergo Petrus dissentiendo absolutè, procul dubio non potest purificare conditionem, sub qua Deus est paratus dare illi alia auxilia, quæ videret fore efficacia.

12. Licet Petrus ex suppositione, quod habeat hanc potentiam proximam, non possit dissentiendo purificare conditionem, sub qua Deus est paratus non dare hanc potentiam proximam, & hæc auxilia, sed alia, quæ videret fore efficacia, tamen ex suppositione, quod habeat hanc potentiam proximam, potest dissentiendo facere aliquid, quod quia Deus per scientiam mediam prævidit ipsum non facturum, ideo posuit hanc suppositionem, & hanc potentiam proximam, & quod si prævidisset facturum, non posuisset hanc suppositionem, neque hanc potentiam proximam, sed vel non posuisset vllam potentiam proximam, vel posuisset potentiam proximam constitutam per alia auxilia, quæ videret fore efficacia. Debent igitur distinguui, ac non confundi duæ propositiones, quarum vna est euidenter falsa, alia potest esse vera. Prima propositio est: *Petrus ex suppositione, quod existat, & habeat hanc potentiam proximam, & hæc auxilia, dissentiendo potest impedire, ne fuerit creatus, ne extiterit: & ne habuerit hanc potentiam proximam, & hæc auxilia.* Hæc propositio est manifestè falsa. Ratio est, quia Petrus ex dicta suppositione, dissentiendo, nihil aliud potest, quam coniungere suam existentiam, suam potentiam proximam, & hæc auxilia cum dissensu; sed implicat, ut coniungendo suam existentiam, suam potentiam proximam, & hæc auxilia cum dissensu, inapediat, ne fuerit creatus, ne extiterit, ne habuerit hanc potentiam proximam, & hæc auxilia; ergo illa propositio est manifestè falsa. Secunda propositio est: *Petrus ex suppositione, quod existat, & habeat hanc potentiam proximam, & hæc auxilia, dissentiendo potest facere aliquid, quod quia Deus per scientiam mediam conditionatè vidit Petrum non facturum, ideo posuit ipsam suppositionem; hoc est dedit Petro existentiam, hanc potentiam proximam, & hæc auxilia, & quod si per scientiam mediam vidisset conditionatè Petrum facturum, non posuisset suppositionem, hoc est non dedit Petro existentiam, vel non dedit hanc potentiam proximam, & hæc auxilia, sed alia.* Hæc propositio potest esse vera. Ratio est, quia Deus potest facere decretum, quo dicat, quia video, quod si ponam Petrum cum hac potentia proxima, & cum his auxilijs, non dissentiet, sed consentiet, volo ponere Petrum cum hac potentia proxima, & cum his auxilijs, & volo, ut consentiat; & si viderem, quod cum his

auxilijs non esset consensurus, nollem creare Petrum, vel nollem illi dare hanc potentiam proximam, & hæc auxilia; sed posito hoc decreto, verificatur hæc secunda propositio; ergo &c.

13. Ad 3. distinguo maiorem: vt Petrus sit liber ad conuersionem, vel ad negationem conuersionis, requiritur, vt Deus sit paratus concurrere cum Petro ad conuersionem, vel permittere negationem conuersionis, ex suppositione horum auxiliorum, & huius potentia proxima, concedo: requiritur, vt sit paratus non solum ex suppositione, sed vt sit paratus ponere ipsam suppositionem, nego: distinguo eodem pacto minorem; & nego consequentiam, & non conuertendum solum ex suppositione, quod habeat hæc auxilia, & hanc potentiam proximam, sed non est liber ad ipsam suppositionem; ergo sufficit, quod Deus sit paratus concurrere ad conuersionem, vel permittere negationem conuersionis ex suppositione horum auxiliorum, non requiritur, vt sit paratus ponere ipsam suppositionem; sed Deus habet decretum, quo dicit, quia video, quod si dederò Petro hæc auxilia, conuerteretur, volo illi dare hæc auxilia, & volo vt conuertatur; & si viderem Petrum per hæc auxilia non conuertendum, ex suppositione, quod darem talia auxilia, vellem permittere negationem conuersionis, sed nollem ponere illam suppositionem, ac non vellem dare hæc auxilia, quæ viderem fore inefficacia, sed vellem dare alia, quæ viderem fore efficacia; ergo Deus habet decretum, quo est paratus permittere negationem conuersionis ex suppositione horum auxiliorum, & huius potentia proxima, licet non sit paratus ponere ipsam suppositionem horum auxiliorum, & huius potentia proxima.

14. Ad 4. distinguo maiorem: qui caret aliquo necessario ad se conuertendum carentia consequente ad suam liberam non conuersionem vt conditionatè futuram, adeoque indirectè impedibili, non est liber ad se conuertendum, nego: carentia omnino antecedenti, & nullo pacto impedibili, concedo: distinguo eodem pacto minorem; & nego consequentiam. Qui caret prædefinitione necessaria ad conuersionem, idè caret, quia Deus videns, quod si dederit hæc auxilia, cum quibus poterit conuerti, liberè conuertetur, dat talia auxilia, non prædefinendo conuersionem, sed permittendo negationem conuersionis; ergo carentia prædefinitionis necessaria ad conuersionem sequitur liberam negationem conuersionis vt conditionatè præuisam, adeoque Petrus liberè se conuertens potest indirectè impedire talem carentiam prædefinitionis, & indirectè determinare prædefinitionem conuersionis; sed qui caret aliquo necessario ad actionem carentia consequenti, & impedibili, est liber ad actionem: e. g. qui sedet, adeoque caret negatione sessionis necessaria ad ambulandum, est liber ad ambulandum, quia caret negatione sessionis carentia consequente ad

hoc, quod liberè nolit ambulare, & velit sedere, & ita vt ambulando possit habere negationem sessionis, & impedire carentiam talis negationis; ergo.

15. Hinc patet, quo pacto non prædestinatus sit liber ad consequendam salutem, licet careat prædestinatione necessaria ad consequendam salutem. Deus enim dat hæc auxilia sufficientia, paratus per illa prædestinare, si cum illis liberè perseueremus in gratia, & idè per talia auxilia non prædestinat, sed reprobatur, quia per scientiam median videt illum non perseueraturum; ergo carentia prædestinationis per hæc auxilia est consequens liberam, non perseuerantiam vt conditionatè futuram, idèque est indirectè impedibilis à non prædestinato, & non auferens illi libertatem ad consequendam salutem.

QVAESTIO LXXXVII.

Vtrum omnipotentia diuina ponatur formaliter in manu liberi arbitrij per aliquid intrinsecum libero arbitrio, vel potius per decretum disunctiuum extrinsecum?

V Idetur, quod per decretum disunctiuum. Nam posito quocunque intrinseco voluntati, ac præcedente actum liberum, Deus potest nolle concurrere cum voluntate ad vllum actum liberum; sed posita omnipotentia in manu liberi arbitrij, Deus non potest nolle concurrere cum voluntate ad actum liberum; ergo diuina omnipotentia non ponitur vltimò in manu liberi arbitrij per aliquid intrinsecum voluntati, & præcedens actum, sed per decretum, quo Deus vult concurrere cum voluntate ad hunc, vel illum actum.

2. Respondeo, quod quia nostræ actiones liberæ sunt indiuisibiliter simul actiones nostræ, & actiones diuinæ omnipotentia, Deus eo ipso, quod dat nobis potentiam proximam faciendi hanc, vel illam actionem liberam, dat potentiam proximam determinandi nos ipsos simul, & diuinam omnipotentiam ad concurrendum in actu secundo ad hanc, vel illam actionem liberam, puta vel ad concurrendum ad actum, quo volumus obseruare præceptum, vel ad concurrendum ad actum, quo volumus transgredi præceptum; sed per hoc ipsum, quod proximè possimus determinare diuinam omnipotentiam, habemus quodammodo omnipotentiam in manu liberi arbitrij; ergo eo ipso, quod Deus dat nobis potentiam proximam faciendi hunc, vel illum actum liberum, dat quodammodo suam omnipotentiam in manu liberi arbitrij. Hoc posito, quæritur, per quid liberum arbitrium vltimò constituitur proximè potens determinare diuinam omnipotentiam ad hunc, vel illum actum, per aliquidne nobis intrinsecum;

Kk

vel